DE SCIRRHO.

THESES

ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

QUAS, Deo juvante, & præside M. TUSSANO BORDENAVE, Artium & Chirurgiæ Magistro, Scholarum Professore Regio, Regiæ Chirurgiæ Academiæ Pro-Directore, Collegii antiquo Præposito, è Regiâ Scientiarum Academiâ, Academiarum Rhotomagensis & Florentinæ Socio, tueri conabitur SIMON-CLAUDIUS DELAIZÉ, Parisinus, in almâ Universitate Parisiensi Artium Liberalium Magister, Theseos Auctor.

PARISIIS,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

Die Sabbati vigesimâ-tertiâ mensis Julii Anno salutis 1774, à sesqui-Secundâ post meridiem ad septimam.

PRO ACTU PUBLICO

ET

MAGISTERII LAUREA.



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ Collegii Typographi, viâ Cithareâ.

M. DCC. LXXIV.





D. O. M.

THESES ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

MULTIPLICI patet undequáque ruinæ fragilis & infirma corporis humani moles. *Ipsi enim tùm à viriosâ ipsius temperie*, tùm ab infesto corporum externorum concursu, ineluctabile seriùs ociúsve imminet periculum. Hinc scilicet diram trahit originem vastatrix numerosaque morborum terris incubantium cohors. Hinc, solutis naturæ legibus, devii aut insoliti nonnunquam vagantur & affluunt humores, quorum in aliquâ corporis parte coarctatâ collectione, morbus conflatur & increscit, generalem tumoris sortitus appellationem. Varius autem pro variis, & causarum quibus gignitur, & partium quas supereminet, differentiis, tumor distinguitur. Quippè qui, vel à liquoribus, vel à dimotis è propriâ sede partibus, vel etiam ab externis corporibus generatus, molles alius, alius duras obsideat partes. Quæ quidem omnia Chirurgo campum aperiunt vastissimum, nobis per breviores temporis definiti limites adeò non percurrendum, vix etiam ineundum. De unâ tantummodò specie tumoris, liquidorum congestu crescentis, differere nobis est animus.

Quisquis tumor præter naturam durus, doloris & inflammationis expers, circumscriptus, salvo quidem colore cutis, scirrhus dicitur. Illud autem nomen, ob duritiem, accepit à voce Græcâ, σκίρος, quæ idem ac fragmentum marmoris sonat.

Plurima sunt scirrhi discrimina. Distinguitur enim in primitivum & consecutivum. Uterque autem modò simplex, modò compositus, modò complicatus esse potest. Primitivus dicitur, quandò scirrhosam ab initio naturam induit; consecutivus verò, cùm alterius tumoris exitus evasit. Simplicem vocant, qui nec ullo alio tumore, nec ullâ lue, nec accidentibus stipatur; compositum, cui accrescunt alia apostematis genera, uti, verbi gratiâ, phlegmone, vel eresipelas, vel œdema; complicatum tandem, qui peculiari quodam contagio generatur & alitur. In perfectum & imperfectum etiam diviserunt nonnulli Auctores; priori nomine gaudet, si sensu carens, penitùs induruerit; posteriori verò, si, *paululùm dolens*, nondùm omni fluiditatis beneficio destituatur.

In omnibus ferè corporis partibus externis internisve procreatur scirrhus; cujus tamen sedes in glandulis frequentior videtur. Quodquidem non mirum, si harum fabrica naturaque liquidi in eis secreti spectentur.

Glandulæ generatìm definiuntur organa ex pluribus vasis & canaliculis glomeratìm dispositis, telâque cellulosâ nexis, conflata; quorum alia quibusdam liquoribus à sanguine secernendis, alia lymphæ elaborandæ destinantur. Ob diversam horum structuram, & diversos ob usus, tùm conglomerata, vel composita; tùm conglobata vel simplicia ab Anatomicis nominari solent.

Glandula Anatomicæ inspectioni subjecta, non solùm omnis generis vasa, verùm etiam sibi propria, excretoria secretoriaque dicta variis implexibus intricata, cellulari textu connexa, membranaceo demùm involucro simul circumvoluta, glomeris instar exhibet. Verumtamen de intimâ glandularum texturâ diversè sentiunt Auctores. Quidam enim cum *Malpighio* existimant glandulam esse folliculum cavum, cujus latera plurimis constant vasculis, & in cujus cavitate oscula minimarum arteriolarum hiantia, quemdam à sanguine secretum deponunt liquorem, qui, in eo cavo collectus, è glandulâ per emissarium pro

variis usibus stillat; illa autem simplex nuncupatur. Composita verò, quandò harum glandularum congeries, unâ communi membranâ vestita, in emissarium commune desinit. Alii, cum *Ruyschio*, sentiunt arteriosa vasa, è quibus conflatur glandula, abire in capillaria, quæ liquidum secernunt, statimque, vel extrà partes immediatè, vel in majora devehunt emissaria. Celeberrimus *Ruyschius*, canaliculos in emissaria compositæ glandulæ desinentes Arteriarum esse continuos, affirmat.

Quanquam accuratis dissectionibus perspicacissimus naturæ Scrutator *Malpighius*, & in mirandâ stupendâque injectionum arte *Ruyschius* versatissimus, ima naturæ penetralia detexisse videantur; quisque tamen nimis generalem amplexus est opinionem, cùm nullus in quibusdam glandulis percipiatur folliculus, quem in aliis deprehendere pronum est. Enimverò glutinosum liquidum percolantes glandulas attentè perpendenti ratione experientiâque probatur folliculorum existentia. In pituitosâ membranâ, verbi gratiâ, alis nasi, in arteriâ asperâ, bronchiis, buccâ, &c. glandulosa occurrunt corpuscula, quæ, vel levissimâ compressione, mucosum humorem exsudant. Undè cum *Boerrhaavio* inferri fas est secretam materiem in receptaculo quodam aliquandiù colligi. Vix enim concipi potest, tantam liquidi copiam in parvulis canaliculis naturaliter contineri, & stare: aliundè si mucosæ glandulæ hisce carerent folliculis, sufficienti quantitate non adesset depositus humor, quàm ut varios quibus demandatur usus præstaret; quin imò, hisce necessariis dotibus certè non polleret. Ex earum glandularum structurâ suam opinionem deprompsisse *Malpighium*, eamque ad alias accommodâsse constat. Injectiones verò solertissimè à *Ruyschio* adhibitæ præclarè demonstrant pleràsque glandulas, sive conglobatas, sive conglomeratas, coagmentari aggregatis vasis quæ in formam subtilissimorum penicillorum mirum in modum solvuntur; ita ut ex illorum continuatis extremitatibus secretoria simul ac excretoria nascantur emissaria. Illi autem penicilli cellulosâ membranâ cincti, totidem effingunt acinos, qui, inter se juncti, parenchymatis nomine gaudent.

Malpighii folliculos omninò renuit *Ruyschius*, sed immeritò, ut patet ex dictis. Glandularum vasa in infinitum divisa, à *Ruyschio* demonstrata celebrataque haud etiam meritò vicissim *Malpighius* negat. Absque

folliculis, quin etiam glandulis, quasdam fieri secretiones Anatomiâ edocemur. Quis enim non fatebitur liquorem corporis cavitatum internas superficies perpetuò irrorantem, solis vasorum hiantibus extremis exhalari? Nulla profectò in his partibus glandularum aut folliculorum reperiuntur vestigia. Si glandulosa scrutemur viscera, hepar, scilicet, renes, testiculos, &c. innumera vasa flexa & reflexa cellulari textu plus minúsve obvoluta tantummodò intuebimur; inter secretoria & excretoria folliculi non exstant. Ex conglobatis, desunt aliis, aliis insunt folliculi.

Quibus expositis omnibus, diversas tum *Malpighii*, tum *Ruyschii* opiniones haud prorsùs esse rejiciendas rectè conjicitur. Folliculis verò muniantur glandulæ, vel non; ea est illarum structura, ea quorumdam liquidorum indoles, ea tandem in iis lenta circulatio, ut eas facillimè scirrhus invadat.

Permultæ *sunt scirrhi causæ: spissatio scilicet*, coagulatio & exsiccatio lymphæ stagnantis in vasis, tùm pro glutinosâ ipsius indole, quæ duro acidoque victu, necnon atrâ bile sæpè concrescit; tùm pro variis vitiis quibus aliquoties inficitur ille liquor. Quibus accedunt inflammatio, lac hærens in mammis, consueti menstrui, hæmorroidalisve fluxûs suppressio ac cessatio, ulcus præmaturè clausum, externa denique corpora, quorum actio modò vasa comprimit, debilitat aut angustat, modò liquidum in eis contentum aut infarctum condensat, & immeabile facit.

Diagnosis scirrhi, ubi in externis corporis partibus hæret, ex suprà dictis facilè deprehenditur; difficiliùs quidem, si interiùs lateat. Attentè verò causas, effectus, eventus, loca, phœnomena, mali diuturnitatem, ægrique temperiem consideranti, in utroque casu certior occurrit diagnosis, indéque proclivior prognosis. His enim perpensis, constat meritò magis metuendum esse scirrhum, humorum spissitudine, contagio, vel consueti cujusvis excreti subitâ suppressione, aut cessatione productum, quàm inflammatione, aliove tumore, aut quâlibet causâ exteriore. Pejor scirrhosa moles quæ magna quibus adjacet vasa comprimit; pessima verò, quæ in cancrum facessit.

Cùm ex lentâ congerie concreti liquoris in vasis ingurgitati scirrhosum tuber proximè confletur, humores attenuare, diluere; pristinam

fluiditatem renovare, vim organicam vaſorum languentem reficere præſcribit indicatio therapeutica; ut, humore faciliùs permeante, impetretur reſolutio. Cui verò, ut ſæpiùs, obſtat penè ſaxea tumoris durities, tunc ad curationem per ſcalpellum deveniendum.

Scirrhi therapeia in radicalem & palliativam generatim diduci poteſt.

Ad utramque inſtituendam, Hygiene, Pharmacia, Chirurgiaque, modò conjunctim, modò ſigillatim conferunt. Hygiene enim, quænam ſint in rebus non naturalibus eligenda aut vitanda docet. Pharmacia, ſaluberrima ſubminiſtrat medicamina. Chirurgia deniquè neceſſarias operationes ſagaciter adhibet. Cùm autem prima curationi tantùm faveat, non verò ſufficiat; ad alias neceſſariò confugiendum eſt, ut, vel per reſolutionem, vel per exſtirpationem, quantùm potis eſt, ſcirrhi medela ritè perficiatur.

Interna & externa medicamina Pharmacia ſuppeditat; ſed miſero ac ineluctabili fato, ſalutiferum adjicere ferrum aliquandò tenetur Chirurgia. Interna, diluentia, attenuantia, diſſolventia, purgantiaque; externa verò, emollientia & reſolventia nominantur. In eorum uſu multùm prodeſt Chirurgi peritia; ſcirrhi enim ſtatus & natura ſedulò conſideranda, priuſquàm ulla tentetur curatio. Si benignus, recens, neque nimius, neque ſcaber, loco idoneo ſitus, in corpore ſano, & nondùm omninò durus appareat ſcirrhus, ſpes quædam affulget reſolutionis, quam moliri operæ pretium eſt.

In primo gradu emollientia cum reſolventibus competunt. In ſequentibus verò, augmento ſcilicet, ſtatuque, emollientia, per datum tempus; dein reſolventia gradatim adhibita, curationem abſolvunt.

Inter emollientia quibus exteriùs uti ſolent, recenſentur fomenta & cataplaſmata ex farinis aut plantis emollientibus, irrigationes præſertìm, & balnea ex aquâ tepidâ, quæ in vapores reſoluta, ſcirrhoſam partem omnemque humoris coïtum ſæpiùs emollit.

Solventium exterior uſus fumos acidos, fomenta, cataplaſmata, emplaſtraque reſolventia dicta complectitur. Mercurii frictiones, & accenſi cinnabaris vaporem nonnulli prædicant. Apud *Galenum* præcipuè commendatur acetum, ſive vaporum, ſive fomenti more, ſive emplaſtri formâ, cui tantam vim diſſolventem & attenuantem tribuebat, ut plurima è ſuis ipſius emplaſtris, gummi ammoniacum, oppopanax,

ſagapenum aceto diluta haberent. Quod experientiâ comprobatum; verùmenimverò gummi ammoniacum in aceto ſcillitico ſolutum, in reſolvendis ſcirrhis pluries ſibi ſucceſſiſſe *Hildanus* affirmat. Juxta celeberrimum D. *Van Swieten*, ſaponis Veneti in lacte ſolutio, adeò ſpiſſa ut tenuiorem pultem referat, ſpongiâ excepta, ſcirrho reſolvendo plurimùm profuit. Quidam Auctores tenuiſſimam plumbeam laminam tumori appoſitam volunt; metuendum verò, ne, nimis compreſſâ & irritatâ parte, tumor inflammetur, necnon depravetur humor. Ab aliis laudatur etiam ſulphuris accenſi vapor ad ſcirrhum emiſſus; cùm autem pulmoni ſit infenſiſſimus, diligenter cavendum ne ab ægrotis cum aurâ trahatur.

Ex iis variis curandi rationibus, hæcce nobis anteferenda videtur. Aquæ tepidæ vapori bis de die tumor admovendus, balneis, ſimúlque vel cataplaſmatibus, vel fomentis emollientibus, dein emplaſtris reſolventibus primùm *leniſſimis*, *ſubindéque* acrioribus ſucceſſivè utendum; non omiſſis generalibus interniſque auxiliis: qualia, diæta, ſanguinis miſſiones pro ægri ætate, temperie, viribus, morbique cauſâ plus minúsve repetitæ, diluentes incidenteſque potus, leniſſima purgantia, boli ſaponacei, ſulphuris interior uſus, diverſæque mercurii præparationes, quales, panacea, æthiops mineralis, & aquila alba.

Si verò his omnibus tùm internis, tùm externis ad reſolutionem aptiſſimis, prudenter & doctè applicatis, invicta tamen ſcirrhoſa moles obluctetur, ultimum auxilium eſt ſcalpellum. Infeſtiſſima quidem eſt cunctatio; tunc enim intempeſtivo & pertinaciori remediorum uſu gravius evadet malum, vel relictum, auctâ mole, vicinas partes inficiet, & fatali tandem plurium cauſarum concurſu irritari, inflammari, brevique in peſſimum cancrum mutari poterit.

Priuſquàm autem extirpatio celebretur, attendendum eſt an majorum viciniæ vaſorum inſideat ſcirrhus, an partibus ſuppoſitis vel ambientibus penitùs infixus & immobilis hæreat, an tandem nimis langueat æger cacochymiâ affectus, vel in cancroſum perverſus humor totam ſanguinis maſſam infecerit; exitialis enim fieret extirpatio.

Quandò recens, benignus, áptéque ſitus adeſt non reſolutus ſcirrhus, nulla mora eſt quin auferri valeat. Quamvis enim pluribus & certiſſimis obſervatis clariſſimi M. *Ledran*, inter Academica Chirurgorum

commentaria consignatis, constet exstirpationem serius necnon efficacius fuisse celebratam ; ad eam confugere tutius tamen arbitramur, ubi pertinax & perfecta tumoris durities omnem resolutionis spem abstulit, quam non sine noxâ cunctari, donec oriantur accidentia. Pruritus igitur, dolor, inflammatio non exspectentur, ut scirrhus eximatur.

Sed, inquiunt nonnulli, nihil est cur tanti urgeat abscisio, si quidem hic tumor indolens nec valdè nocuus, nec molestus apparet. Aliundè in mammis interdùm per plures annos illum absque periculo non solùm hæsisse, verùm etiam in interioribus corporis delituisse probatur experientiâ. Clariss. *Littre* invenit totum lienem putrefactum, neque tamen de ullo malo sanus & hilaris conquestus fuerat æger.

Hæc sanè non negamus ; attendantur verò scirrhi indoles, & alteratio liquidi imminens, si, quacúmque de causâ, motus humorum acceleretur. Si, V. G., sæviat febris, vasa scirrho adjacentia, compressione coarctata velociori circulatione obstruuntur; mox sequitur inflammatio ; tunc ex fluidorum ac solidorum appulsu & repulsu frequentiùs iteratis vehementior nascitur attritus ; hinc in angustatis vasis plurimùm augetur calor ; hinc etiam effervescens iners congestaque moles brevi putrescit. Eodem malo minitantur aliæ causæ. In istâ autem luctuosâ conditione quantò difficiliùs morbus debellatur ! Tota sanguinis massa cancroso nonnunquam vitiata veneno exstirpationem omninò rejicit, aut eam saltem paululò certiorem vix præstat. Præterea, principio minùs altè latéque diffusum scirrhosum tuber radicitùs evellitur. In augmento verò & acerbatione, post exstirpationem, in cancrum degeneratio fit pertimescenda, si enim vel minima pars scirrhi remanserit, recrescenti malo remedium pejus afferet.

Quibus autem omnibus rectè perpensis, meritò concludi potest tollendum esse citiùs scirrhum, quatenùs irresolubilem, antequàm vel levissima quidem immineant accidentia. Ut ut hæc sunt, in quibusdam circumstantiis, licèt instantibus, abscisionem improbandam non ducimus ; è contrariò eam omittere nefas est, ut patet clarissimi *Ledran* felicibus experimentis.

Cùm autem eximendi scirrhi statuatur necessitas, quânam methodo hæc operatio debeat salubriùs absolvi, nunc paucis evolvamus.

Absint cauteria, sive actualia, sive corrosiva, quorum actione concitatior stagnantibus liquidis motus impertitur, indéque proximus can-

cri metus, nisi vi causticâ sufficienti scirrhus omninò consumatur. Tumorem, quod rariùs fit, pedunculo quasi affixum propendentem, Auctores quidam laqueo circumducto validè stringendum volunt, ut, sic exsuccus concidat; at indè tristis & pessima in cancrum mutatio quandoque pertimescenda.

Aliis ergo mediis ferrum videtur anteponendum. Duplici autem modo sectione scirrhus aufertur; vel enim, dissectis integumentis, quasi enucleatur, vel unà cum integumentis simul & semel totus resecatur. Prior methodus in minoribus scirrhis nullibi cuti accretis; posterior verò, in majoribus & mobilitate destitutis, adhibetur; utì, V. G., quandò mamma tota scirrhosa abscinditur. Ut autem utraque rectè perficiatur, in eximendum quicquid scirrhosi fuerit potissima Chirurgi cura impendatur. Ablato scirrho, compressoque sanguinis effluxu, tanquam vulnus cum amissâ substantiâ deindè curatur.

Hactenùs de scirrhorum, *vel per resolutionem, vel per abscisionem*, curatione; nunc de eâ quam *palliativam* vocant, dicendum est.

Indolentia scirrhi ab ægro quandóque negligitur. Exstirpatio, doloris ideâ, sæpissimè recusatur. Tunc si, vel vicinis partibus magis ac magis accreverit, vel majoribus vasis quàm proximè adhæserit, vel in cancrum abierit; ita ut integrè, & absque vasorum læsione tolli nequeat, aut, labefactis humoribus, in aliis corporis partibus complures scirrhi pullulent, *non solùm irrita, sed etiam periculosa institueretur* operatio. In solâ igitur palliativâ curatione spes novissima reponitur; quamobrem, ut in eodem statu remaneat morbus, nec deteriorem exitum subeat, hæc omnia quibus, vel in toto corpore, vel in parte affectâ, motus humorum augetur, sunt sedulò vitanda. Emollientia, caustica, rodentiaque malum exacerbant; integumentorum enim cohæsionem imminuunt, indomabilemque putredinem vicina depascentem suscitant. *Hildanus*, inveteratos scirrhos, emollientibus applicatis, in exulceratos cancros abire vidit. *Etmullerus*, nitri aceto dissoluti lotionem proposuit, ut in lapideam duritiem irresolubilis scirrhus convertatur; pertimescendum verò, ne acria exitiosam irritationem promoveant.

Diæta, interna & aliqua externa remedia palliando morbo conjunctim inserviunt. In victu, mollissima ac dulcissima quæque sumantur;

decocta

decocta emollientia, temperantia, laxantiaque pro potu adhibeantur; acria verò, & calefacientia vitentur. Quidquid animi pathemata incitare valet, diligenter prævertatur; nata refrænentur. Si pruritus, vel dolor adſint, narcoticis & anodinis ſedentur. Si ſcirrhus inflammari incipiat, plumbata remedia ſunt prudenter tentanda; utì, V. G., acetum lythargirii aquæ copiâ dilutum, nutritum unguentum dictum, emplaſtrum diapompholigos. Omnis attritus caveatur, ne integumenta excorientur, ideóque molliſſimâ alutâ ſcirrhoſa pars veſtiatur. Undè etiam, in mammarum ſcirrhis, loricas ex balenæ oſſibus factas mulieres debent exuere, necnon à vehementiori corporis exercitio ſeſe abſtinere, cùm à pectorali muſculo ſuppoſito tunc agitetur ſcirrhus.

Quidam Auctores, ad inflammationem ſcirrhi debellandam, plumbeam tenuem lamellam argento vivo perfricatam, ad tumoris figuram accommodatam prædicant; verùm, ſi mercurialia etiam blanda diutiùs admoveantur, incauto illorum uſu metuendum eſt, ne humorum motu adaucto, malum in pejus ruat.

Peccantis temperiei emendandæ neceſſitas, diætam, & medicamenta diverſis vitiis aptiſſima requirit. In atrabilariâ igitur, mel, ſapo Venetus, herbarum decocta, qualia ex cichoreo, endiviâ, fumariâ, & ſimilibus compoſita, tenaces ſolvunt humores. Si verò lateat, vel *ſcorbutica*, vel *ſtrumoſa*, *vel venerea*, *vel quævis alia lues*, remediis pariter idoneis debellanda, ſin minùs mitiganda, ne morbus jam gravior, promptiùs cum mortifero cancro commutetur.

FINIS.